





*X*  
A. D. A. M.

1724, 18 22  
*4.*

IMPERATOR C. IVLIVS CAESAR  
NON IMPERATOR

HOC EST

DE IMPERIO ET REGNO  
GERMANICO SEMPER  
ELECTIVO  
DISSERTATIO

QVAM.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE, VVESTPHALIAE RELIQVA

INCLVTO ORDINE PHILOSOPHORVM ANNVENTE

PRAESIDE

M. GOTTLIEB STVRMIO

ALTENBURGENS. LL. C.

AD D. XXIII, SEPTEMBR. ANNO MDCCXXIV.

DEFENDET

IO. FRIDERICVS GRAEFIVS

TREPPENDORF. THVR. SS. THEOL. CVLTOR.

I E N A E  
LITTERIS VVERHERIANIS,







CAP. PROOEMIALE.  
DE RITE TRACTANDA HISTORIA  
IMPERII.

§. I.

**H**istoriam Imperii docentibus aequae ac discentibus monita, qua obseruent, commendanda sunt  
haud pauca; alias caeco ausu a regia aberrant  
rectumque derelinquent tramitem. Palmarium  
igitur est, vt genuinum huius studii vsum & ne-  
cessitatem perdiscant, finemque Historiae certum & verum  
pernoscant, nisi nubem pro Iunone amplecti talium intersit  
parum. <sup>a)</sup>

a) Discentium refert nosse finem Historiae, vt alacriori studio  
eam prosequantur, & docentium curas discernerem possint,  
docentium autem, ne inutilibus rebus patientia auditorum  
abutantur, illisque glaucoma pro veritate obiciant.

A 2

§. II.

## §. II.

Discentes autem, ne illotis ad hocce studium accedant manibus, necessum habent, vt dignoscere possint quid iustum, quid honestum, quid vtile sit, didicisse doctrinam morum, alias docens Historiam, & doctorem Philosophiae diligentis voluntatem, agere debet, & necessaria interdum omittere, a) alias multa manent incognita auditori aliter accedenti.

- a) Mens mea tamen non eo redit, ac si nunquam inspergenda sint monita de iusto de honesto & consulto, imprimis in gravioribus & maxime controuersia materiis, quales e. g. sunt successiones inter gentes, de quibus agit *Grot. de I. B. & P. I. 2. c. 7.* sed ne liquidissimis satisque tritis tempus teratur. Hinc eorum non laudo institutum, qui Historiam tanquam speculum vitae extollunt, & in recensendis vitiis Imperatorum, quod generosum laudant atque pium commendant, multis que ambigibus virtutis depingunt, & sic sermonem quasi sacram (*Eine Historische Predigt*) immiscent; cum tamen rerum suarum fatigissent, si virtutia politica (*die Staats-Fehler*) annotassent, eorumque incommoda & in regno detrimenta.

## §. III.

In docentibus autem desideramus accuratam Philosophiae cognitionem & Iurisprudentiae Ciuilis a) Feudalis & Publicae b) scientiam. His enim scientiis substituti, narrata prout narrantur, & nesciunt quid veritatis aut falsitatis admixtum sit eorum narrationi.

- a) Cur in docente exspectamus Philosophiae cognitionem *ex s. praecc. patet*, magis tamen obscurum est, cur Ciuilis prudentiae Iuris imbutum requiro scientiis, quare ynico exemplo mentem

mentem declarabo. Nota est illa inter sacerdotium & Imperium contiouersia, in primis Henrici V. temporibus agitata, duplique transactione elisa, tandem decisâ in tertia, vti nunc hodie rârum facies est. In secunda autem a 14 Episcopis & Principibus Iure iurando firmatum & anathemate munxitum erat, vt regni ius sit, inuestituras Episcoporum absque simonia & ambitu facere, vti haetenus factum erat &c. Aft hocce pactum infringebat pontifex satis iciune, ex capite metus. Ignorans igitur Ius Ciuite nescit, quid sibi velit haec metus exceptio, & quid Praetor in hac restituione promiserit, qualemue metum desiderauerit. Quanquam demonstrare possit, inter liberas gentes I. Ciuite vim obligandi nullam habere. Accedit, quod non diiudicare possit cur ita & non aliter iudicatum sit in supremis Imperii iudiciis, in quibus status Imperii secundum Ius Ciuite sententias audiunt. Huc etiam pertinet quaestio agitata inter regem Bohemiae & Bavariae Electorem, de Electoratu, & decisâ a Rudolfo I. & iterata, denuo decisâ alio plane modo ac primum, petitorium ac possessorum caussante Rudolfo; quanquam vera causa domesticâ erat, non Iuris.

b) Quia Ius publicum est finis & basis studii Historiae Imperii, necessum est vt docens sciat, quid pertineat ad Ius publicum & tractandum sit, quid vero omittendum. Nam quod in certis Iuris disciplinis ratio praefstat, id in Iure Publico Germaniae Historia, dicit acutissimus Iuris Publici indagator III. Cocceius.

## §. IV.

Est igitur Historia Imperii nostri, narratio vera, rationib[us] philosophicis & iuridicis suffulta, de iis rebus, quae in Imperio nostro cuenerunt & ad cognitionem status interiorem eius pertinent, a prima origine ad nostra usque tempora.

A 3.

§. V.

## §. V.

Hanc definitionem ad amissim expendamus, ut elucescat eius veritas. Narrationem igitur dixi Historiam, quia, quod ex aliorum libris sumimus, aut audimus ab aliis, iterum narramus, praesertim cum nihil ex nostro addere licitum sit, sine veritatis detimento, sed auctorem suum, tanquam testim ocularem, nominasse sufficiat. a)

a) Igitur nostrum non est mutare in genealogicis personarum nomina aut alias personas singere, neque annorum seriem in chronologicis infringere, neque in Geographicis indulgere ingenio; quod vitium notatur in Cluero, omnia vero simul, in iis, qui omnes gentes earumque praeclipsas familias ab exultione Troiae accersere non dubitarunt suavi deli gamento.

## §. VI.

Vera ut sit narratio, necessarium est, ut petita sit ex aucto ribus, quos seculum vidit in quo narranda euenerunt; quamquam etiam in his sublestae fidei sunt a) nonnulli, quia stu dii aut irae causas non procul habuerunt. b)

a) huc pertinent etiam narrata fabulosa a Monachis, Historiae Germaniae conditoribus, si miracula proferunt, aut anilibus fabulis taedium lectori procreant; tali in casu vix est ut calcu lum addas.

b) Videndum igitur quis scriptor iste fuerit, an in veritate laudem, aut in blanditiis praemia quæsuerit? quæ facile pafescunt si eius vitae cursum luſtas & attentis an eius de quo scribit minister fuerit, nec ne? an fata secunda vel aduersa expertus sit ab isto de quo sermo, an adscribendas Historias con ductus? Igitur non semper ea sunt reiicienda, quæ a scri toribus

ptoribus proferuntur, qui breue tempus post Imperatoris obitum vixerunt, quia veritas odium eis non parit.

### §. VII.

Hoc veritatis requisitum distinguit Historiam a Fabulis, libris Romanensium, aduersariis falsis, & historicis fragmentis aliis.

### §. VIII.

Quia Historia rationibus philosophicis & Iuridicis suffulta atque referta, demum vocatur pragmatica, etiam hoc requireo in definitione. Temporum barbaries & ingeniorum ruditatis, ne omnia accurate litterarum munitamentis traderneretur, praecipiebat; hinc multa coniecturis, rationibus hisce exornatis, adumbrare necesse est. <sup>a)</sup> Neue omnia promiscue discerem aut docerem haec principia prohibent.

<sup>a)</sup> e. g. Principes Comitesque Imperii nostri ab origine sua hereditarios fuisse quis, nisi Iure peritus, edocere valeret, coniecturis? Hinc videmus Historiam partim narrari partim doceri velle; narramus quae legimus relata; docemus, quae rationibus adstruimus.

### §. IX.

Imperium dum voco in mea definitione, non solum Germaniam intelligo, sed etiam Imperium Romanum. Igitur Historia non incipienda est a Carolo M. aut Ottone Illustri, sed recurrendum ad prima tempora, quia alias multa explicare non possum, cognitione priorum temporum destitutus. Nec Imperatores Rom. plane prorsus sunt praetermitendi, origoque eorum, quia alias me latet unde Imperium & qua

DE RITE TRACTANDA

---

& qua occasione dictum sit, nec non quot clades aut Germania a Romanis aut Roma a Germanis acceperit.

§. X.

Tantum ea volo quae ad cognitionem status pertinent,  
& quidem ideo, quia Historiam non disco propter Historiam  
sed ad cognoscendum interius Ius publicum; secundo ne me-  
moria, quae alias ad omnia tenenda vix sufficit, sub onere re-  
rum inutilium satiscat. Recedant igitur fabulae aniles, facta  
principum taedium aut risum excitantia, & miracula con-  
ficta. a)

a) errat du Fresnoy in der Anweisung zur Historie c. 16. putans,  
iocosa de industria esse intermisenda, ut animus quasi habeat  
refrigerium. Nam sat multa absurdia & ridicula occurunt in  
ipsa narratione Historica, quae quidem enumerari possunt,  
modo non longa disquisitio de eorum fide aliisque circum-  
stantiis instituatur, quia discussionem non merentur, modo  
etiam non studio accersuntur. Omnis historia delicias animi  
procreat, expertos etiam inter constat, Seria non magis Hi-  
storiam amare quam locum.

§. XI.

Imprimis docens periodos certas constitutat, in quibus  
magnam Imperium mutationem habuit a) fataque sensit,  
quia sic memoria leuamen accipit. Maxime disputatas res in  
Imperio, atque Iura, per singulas Imperatorum vitas demon-  
strare, est rem in hominum mentes solide & firmissime in-  
scribere. b)

a) Varias diuisiones Historiae Imperii inuenimus, alii enim di-  
vidunt eam in antiquam, medium, & nouam, quae seccio  
nobis

non admodum accurata, quia membra habet inaequalia, antiqua enim Historia incipit a germanorum origine, si modo eorum origo a primis cunis patesceret, media pauca secula recentet, noua autem in infinitum extenditur, aut non est constans divisio. Alii in X. periodos alii in pauciores eam dissecant. Nos sequentem tabulam inuenimus; quanquam equidem fatemur quod philosophice sit recte comparata, non tamen exacte seriem successionum sequi potuimus. Tabula haec esto.

Germaniae forma fuit vel

- { A.) Aristocratica democratis temperata, ut ante Francorum tempora vel  
 B.) Monarchica Aristocratis & democratis temperata, in hac floruerunt vel

- { a) Reges iisque  
   { a) vel partem Germanias haberunt ut Merovingi, Carolomannus, Ludouicus Junior \* &c.  
   { b) vel Vniuersam, ut Ludouicus Germanicus, Ludouicus Infans, Conradus I. Henricus Auceps.  
 b) Imperatores, eorumque dignitas Imperatoria  
   { 1) vel non dependebat ab Electione Germanorum, ut Caroli M. Ludouici Pii, Caroli Crassi, Arnulphi.  
   { 2) vel dependebat ab Electione Germanorum, scil. ab Ottonne Illustr, hi iterum vel floruerunt  
     { a) ante interregnum, & sunt  
       { 1) Saxones  
       { 2) Franci  
       { 3) Suevi  
     { b) post interregnum, hi iterum  
       { a) vel durante iure manuario floruerunt  
       { b) vel hoc sublato, & hi iterum  
         { 1) ante

B'

{ 1) ante bellum tricennale  
 { 2) vel post hocce.

\* Hic est vbi successio turbatur quia filii ante patrem recensentur, ast quia aliorum diuisiones maioribus naevis laborant, facile condonandus. Imprimis cum in historiis diuisio non secundum regulas bona divisionis potest accurate institui, sed potius regulae ex diuisione, plane contraria methodo, formandae.

6) Non male igitur auditoribus suis consulere videtur, qui quaestiones, quae vel per totam Historiam, vel per cerram periodum demonstrari possunt, praemittat, & sic continua quasi demonstratione absoluat. Sic demonstratio sequentium exemplorum per totam Historiam institui vult, 1) Germanos semper gentium fortissimos fuisse, libertatisque studiosissimos, 2) Regnum inde nullum hereditarium sed electuum semper habuisse. 3) Hinc Electores semper fuisse, quamquam non collegium electorale seu hodiernus Nouemviratus, hinc inquitendum in eius originem. 4) Principes Germaniae nostrae hereditarios fuisse semper; fabulam igitur esse de principiatis hereditariis sub Conrado I. & Henrico Aucepere etiis, 5) Germaniam tamdiu Monarchiam Aristocracia & Democracy mixtam fuisse, quamdiu Reges aut Imperatores adorauit. &c. Haec per totum Historiae tractum monstrari possunt, per singulas periodos notari etiam multa volunt. Exemplo sit nobis periodus Carolingica, vbi obseruamus 1) origines ducatum, 2) iudiciorum ordinem, 3) Palatinorum diversa genera &c, ex qua ultima quaestione dependet omnis resolutio Historiae multis tricis implicitae, de Francia & prouincia Rhenensi. vid. Correi t. 3. Sect. 6. & 7. Iuris publ. Hac methodo subleuantur memoria, quia res notata dignae si quis repetuntur, & certitudo rei propositae, per totum Historiae campum monstratur.

§. XII.

## §. XII.

**Quare, vt in posterum studiis discentium adsimus, per aliquot Dissertationes, in forma tractatus emittendas, demonstrabimus praecipuas Historiae Imperii controuerias, & per seriem Imperatorum deducemus: Imperium & Regnum Germaniae semper electuum fuisse, vbi & de origine electorum & haereditaria semper Principum Germaniae possessione dicendi locus erit. Habet igitur hic, de Imperio & regno Germanico tractatus, dissertationem prooemialem, & quid ex reliquis nostris, L. B. lucubrationibus, tibi promittere possis, perpende, & si calculum merentur, adde.**

## CAP. TRACTATIONIS DE IMPERATORE IULIO CAESARE NON IMPERATORE.

## §. I.

**O**MNIBUS satis notum est atque perspectum istud prouerbium. *Mutatio non praesumitur sed probanda.* Hoc pendenti mihi & de Imperio nostro hodienum electuo meditanti, & id olim tale fuisse in mentem veniebat.

## §. II.

Succurrebat hisce meis meditationibus, demonstratio-  
nis defectus adserentium successionem. Libertas Germano-  
rum etiam accedebat, & antiquitas electionis, *a)* & utilitas, *b)*  
Adseratum nostrum laudi etiam est regnantibus in Imperio no-  
stro. Nam quia per electionem ad summum culmen euecti  
sunt,

B 2.

sunt, prae aliis ad regnandum aptissimi *c)* nati sunt. Quae laus multum crescit, si plures ex vna eademque familia, concatenata serie, ad solium Imperatorum scandunt. Et Proceres in eo laudem inveniunt, quod semper libertatis acerrimi extiterint defensores, & lubentius ad parendum ire quam duci voluerint. *d)*

*a) Lips. Pol. L. 2. c. 4. Hert. Pol. P. I. Secl. X. §. 8. & 9. vbi pasim exempla Grot. de I. B. & P. L. 2. c. 7. §. 29. not. b.*

*b) Vtilitas clarior lucebit, perpendentibus mala successioneis ab Hertio aliisque allegata. Imprimis autem electionis vtilitas in eo radiat, quod Regnantes liberis praediti, curam accuratio-rem Imperii habeant, atque omnibus virtutibus atque studiis, regnantiibus dignis & necessariis, imbuvi current principes inventutis, vt populi aut procerum fauorem accipient nec in eleccione praetermittantur. Imprimis cum non prudentiae sit desultoriam, ab vna familia ad alteram electionem exercere,*

*c) vid. Lips. l. c.*

*d) Hert. Pol. P. II. Secl. V. §. 1. Nos, inquit, electionem vix vti-lem reipubl. existimamus, nisi vbi populus est stabilis ingenii & praeclarae virtutis, simul autem ferre nequit, improbos dominantis mores, saepe tolerandos in regnis mere hereditariis. Eo vero inge-nio cum per pauci sint &c. Videmus igitur quanta sit Principum Imperii nostri virtus.*

### §. III.

Calcaria porro mihi in hanc rem inquirenti, omni iuga eruditione celebris Grotius addebat, qui in libro aere quo quis flauo cariore de I. B. & P. *a)* hanc vel vnico verbo seminavit opinio-

opinionem; a Gronouio tamen valde vapulat b) prolixis ibi in notis adiectis, vbi exempla & a Grotio in notis adiecta, & alia a semetipso adducta, infringere conatur, & ostendere aut per vim quandam imperium inuasisse e), aut per alias illicitas artes occupasse Romanos Imperatores. Quia igitur Gronouii opinio contrariatur historiarum fidei, permeemus notabiliores periodos & historiae Romanorum & Germanorum, & electionem demonstremus.

- a) L. 2. t. 9 §. II. n. 1.
- b) dum dicit: *Improuide Grotium hoc posuisse & in notis incautius reddidisse, &c.*
- c) dicit: *nunquam ne semel quidem aliquem Imperatorum peruisse per electionem ad hocce fastigium, Iulium & Octavianum tyrannici speciem addidisse solum.*

#### §. IV.

In hac iustinatione Imperatorum primus sese offert ex vulgari opinione a) Caius Iulius Caesar. Quam sententiam vulgarem infringere praecipue admitor, insimulque demonstrare, titulo Imperatorio, eum summam non habuisse potestatem, id quod etiam de Octavii initio adfirmamus. Interim tamen quicquid potestatis habuerunt, consensu & electione populi tenuerunt.

a) *Cuspinianus in vitiis Imperatorum & Caesarum*, etiam eum primum nominat, ex fieulneis hercle rationibus, ita enim objectionem excipit antea sibi metipli motam: *As ego quum confidero, appellationem Caesarum ab eo propagatam, tanquam a viro animi vigore praestantissimo, (vt Plinius ait:) cuius virtus, constans, sublimitas, omnium penecapax fuit quae cuncto continetur: ut pote quod proprio vigore celerritateque quasi quondam igne volucris.*

B 3

volueri, scribere & legere, simul dictare & audire consueuit. Quae-  
ternas enim tantarum rerum epistolas pariter librariis dictare, ac  
si nihil aliud ageret, septem solitus erat. Et qui signi collatis,  
quinquagies dimicauit, M. Marcellum transgressus, qui vnde qua-  
drages dimicauerat, ac undecim centum & nonagesima duo millia  
hominum praelius suis (praeter cimiles viatorias) occiderit. Quique  
elementia omnes actatis suae superauerit usque ad poenitentiam  
magnanimitate, liberalitate, magnificientia incomparabili, subli-  
mitate animi inuicti; Omnes superando iure ab eo initium sumen-  
dum duxi. Quam valida igitur sint haecce argumenta, ultimis  
labris, qui attigit principia politica quis non videt? Tacebo  
quod omnes ferme caesiae & Sullan & Pompeium tangant cur  
hos non recenset? Est tamen creberrimum Cispiniiani, qui a-  
lias ab omnibus historicis laudatur, vitium, quod in Elencho  
Imperatorum, propterea non Imperatores, recenseat e.g. Lu-  
douicum infante, Conradum I. Henricum Aucupem, ex  
Ieuibus nec stringentibus rationibus, quas recenset in vita Ot-  
tonis III.

## §. V.

Ante tamen definitio Imperatoris erit proponenda, quam  
pedem promouemus, ut amissim habeamus, ad quam infra  
dicenda expendantur. Est mihi autem *Imperator Romanorum*  
*is*, qui summam ubique, sub Imperatoris aut Principis nomine,  
potestatem habet, consensu S.P.Q.R. (bodie Electorum) expres-  
so vel tacito. Duo igitur potissimum requiro 1) nomen sum-  
ma potestate coniunctum, ne quis credat solum nomen sum-  
ma adferre, aut ambiguo vocis sono decipiatur, credatque  
omnes Imperatores summam habuisse, principes autem mi-  
nus. Summam tamen habere potest quis salvam, quasi quam  
per pacta in hoc vel illo exercendo, S.P.Q.R. aut Proceres  
admit-

admittit. Alias enim nec Reges Romanorum primi quidem, summi tenuissent vii clare ex Dionys. & Liu. monstrat. *o nro*  
*Grotius de I. B. & P. L. I. c. 3. §. 20. n. 5. & 6.* Sed sufficit, si actus  
eius alterius iuri non subsint, ita ut alterius voluntatis arbitrio  
humanae irriti possint reddi. *id. ibid. §. 7. n. 1.* 2) Requiro ele-  
ctionem expressam vel tacitam. Tacitam addo, nam quod  
quis per alium facit id ipse fecisse putandus est. Cesat igitur  
Gronouii sugillatio, putantis, eos tyrannos atque regni inua-  
sores fuisse, quos militum elegit corona. Electionem porro  
solam requiro non inaugurationem, quia illa Imperatorem &  
regem constituit: *Illi. Cocc. I. P. c. VIII. §. 1.* hacc autem non,  
estque inventum nouum. *Lehmann. Chron. Spirens. L. III. c.  
22. & Lib. V. c. 68.*

## §. VI.

Quod ad primum definitionis requisitum attinet, legi-  
mus in historiis, Iulium multa Imperatoria & Monarcharum  
nomina tenuisse, quae tamen tunc temporis non talia erant,  
nec ullam summitatem adnexam habebant. Igitur ea nomina  
aestimanda sunt non ex nostro aeuo, sed Iuli. Quamquam  
& haec profulissima titulorum adsumptio, inter facta, quae Cae-  
sarem praegrauarent, legitur. Ita recepit Praenomen a) Im-  
peratoris & cognomen Patris patriae *apud Suet. in Caeſ. vita c.  
76. Dio. Caff. L. 44 p. 235.* vbi legitur, quod Imperatoris titu-  
lum eo modo acceperit, quo nunc ii, qui summum Imperium  
obtinent, hoc est perpetuum & ad heredes successores tran-  
sitorium. Olim enim solum erat acclamatio, quā populus Ro-  
manus illōs honorabat qui viētrices in Urbe reportabant ma-  
rus, aut per triumphum viētos hostes ducebant. b)

a) Plut.

- a) Plurimae erant gentes Romanorum, patritiae partim, nam patricii antiquissimis temporibus Reipubl. soli gentem habere dicebantur, *Liu. X. 8.* partim plebeias, quae exortae sunt cum honores, connubia &c. cum plebe communicarentur. Hae singulae, singulis nominibus clarescebant, & a plurimis descriptae sunt, e. g. a *Fulvio, Vrfinio, Carolino, Patino &c.* Singulae gentes in diuersas abibant familias, & familiae iterum favepe numero in nouas stirpes. Hinc tot plaustra nominum Romanorum. Gerebant etenim PRAENOMEN, NOMEN, COGNOMEN, & AGNOMEN. Sic C. Iulius Caesar habebat Praenomen Caii, quod eius personae proprium erat, porro Iulii nomen gerebat, quod gentilium erat, quia ex gente Iulia ortum trahebat, tandem Caesaris, quia ex familia Caesarum. Vnde autem Caesares dicti sunt varias Scriptorum opiniones refert *Alex. ab Alexandro gen. dier. L. 1. c. 9.* *Cuspinian. in eius vita.* *Spartianus in Aelio vero c. 2.* Et si non sine maiora prole defundetus, forsitan & stirpis nouae inuentum fuisset agnomen. Hic culpat Suetonius in nostro, quod quasi proprium nomen esse voluerit, Imperatoris, quod exemplum deinde securi sunt Imperatores Romanorum vid. prooem. *Infl. Iustin.* vbi titulum praemisit. Cur & quando autem factum sit, vt omnes Principes Romanorum posteriores & Imperatoris & Caesaris nec non Augusti titulos seruauerint? monstrabimus in Diff. 2. Vbi de Adoptionibus in gente Iulia agendi locus erit.
- b) Quia locus supra a nobis Dionis citatus notatus dignus est exscribamus eum ad verba: Ἐτὶ δὲ δὴ τῇ νίνη ἐκεῖνᾳ τοι, ὅτα εἴπου, οὐ γεροσία ἔγω, καὶ προσέβῃ αὐτὸν τε ἐλευθερωτὴν [νεᾶ] ἐκάλουν καὶ ἐς τὰ γεραιματεῖα αἰνέγραφον, καὶ νεών Ελευθερίας δημοσία ἐψηφισαντο. τό, τε τὰ αἰγαλοεδέρος ὄνομα, οὐ πατέ τό ἀρχαῖον ἔτι μόνον, ὡς περ ἄλλοι τε καὶ ἐκεῖνος ὡς πολλάκις εἰς Γαν πολέμων ἐπεκλήθησαν, οὐδὲ ὡς τὰ Γανα αἰγαλεῦ πήγεμονταν η καὶ ἄλλην τινὰ ἐξουσίαν λα-  
βόντες,

βόητες, ὀνομάζοντο, ἀλλὰ καθάπαξ τέτο δὴ τὸ κεῖ νῦν τοῖς  
τοκεστοῖς ἔχοσι διδόμεναν, ἐκεῖνοι τότε πρῶτοι τε καὶ πρώτοι,  
αἱσπεῖ γι κύριον, προσέθεσαν. καὶ λοσάνη γε ὑπερβολῆ κο-  
λακειας ἐχεπτανο, ὡς καὶ γίτης πάνδας γίτης τε ἐγγόνις αὐτῷ  
ἢ/ω καλέσθω Ψηφίσασθαι, μῆτε τέκνου τί αὐτῷ ἔχοντος, καὶ  
γεροντος πόδη ὄντος. ὅθεν περὶ καὶ ἐπὶ πάντας τοὺς μετὰ ταῦτα  
ἀνηκατορεας τῇ ἐπικλήσῃ αυτῇ, ὡς περ τις ιδια τῆς αρχῆς  
αὐτῶν ὁσα, καθάπερ καὶ ἡ τῷ καμπανος, αΦικέτο ἢ μενοι  
καὶ τὸ ἀκάλον εἰς τατα καλελυθη, ἀλλ᾽ ἔτιν εἰπάτερον. καὶ  
οἰα τέτο καὶ δευτερον ἐπ' αὐτῶν ἐπάγεται, σταν νίκην τινα  
τοιάντην αὐτελωνται, οἱ μὲν γὰρ αὐτὸν τέτο αὐτοκράτορες,  
ἄπα τῇ προσογγοεια τατη, αἱσπερ εἰς ταῦς ἀλλας καὶ πρῶτη  
γεχεωταν οἰς δὲν καὶ δια πολέμων αἴσιον τι αὐτῆς κατο-  
φθάσῃ, ὅτοι δὴ καὶ ἐκεῖνοι τῇ ἀπὸ τῇ αρχαίς προσλαμβά-  
νται. καὶ τατα καὶ δευτερον τις καὶ τετον, πλεονάμις τε,  
ὅσανις ἀν πασάρχοι, αὐτοκράτωρ επονομάζεται. ταῦτα τε  
δὲν τότε τῶντας ταῖς, καὶ οἰκιαν, ὡςτε ἐν τῷ δημοσιῷ οἰκεῖν,  
ιερουμνιαν τε ευζωμεστον, ὅσακις ἀν νίκητε τις συμβῇ καὶ θυ-  
σιαν εἴτε αὐτῇ γιγιεδαι, καὶ μῆτε συσχετεσαι τινα μῆτρα  
δὲν ἐπικοινωνησαι τῶν καταπεσχθέντων, ἔδοξε, ὃν μην  
ἀλλ᾽ ἐκεῖνα μὲν εἰ καὶ ὑπέροχα ἔχω τε τα καθεστηστος  
σΦισιν ἐδόκει εἶναι, οὐτιγε καὶ αδημοκράτη πο. Porro se-  
natus non hacc modo, quae recensui, proprie rictoriam caesaris  
(contra Pompeium) decreta feci, sed nomen ei praeterea libera-  
toris tribuit, atque ita in fastos retulit, praeterea decreuit, ut li-  
bertati aedes publice extrueretur. Imperatoris quoque nomen,  
non antiqua tantum pro consuetudine, qua id cum aliis, tum ipse  
quoque sapient, ex bello reportaueram, neque earatione, quod ei  
merum imperium absolutamque potestatem deferrent, Caſari tri-  
buerunt; sed eo modo, quo nunc iis, qui summum imperium ob-  
timeti, tum primo Caſari primum imposuerunt, tanquam ipsi  
proprium. Eo etiam adulatioſis progressi sunt, vi filios quoque eius  
nepotesque, ita nominari iubent, quinam neque filium ipſe ullum  
haberet,

haberet, & iam senex esset. Id vero nomen Imperatoris a Iulio, quemadmodum etiam Caesaris nomen, tanquam peculiare summi Imperii cognomenum, ad omnes deinceps imperatores dimanauit, non tamen sublata antiqua huius nominis ratione, sed viraque integra. Itaque denuo imperatoris nomen adiicit, qui viatoriam eo dignam obtinuit. Imperatoris igitur nomen, vt & reliqua, omnibus ex aequo Imperatoribus primum tribuitur: qui vero in bello rem eo cognomento dignam gesit, is antiqua consuetudine Imperator denuo salutatur: unde si ut quis secundo, tertio, ac toties omnino, quoties id mercatur, imperator nuncupetur. Aedes praeterea publicae Caesari ex decreto concessae sunt; utque dies quibus viciisset, festi essent, sacrificareturque illi: ac, ne quis militiae imperium cum Caeſare habere, aut rei consecratae partem sibi vindicare auderet. Enimvero haec omnia, eti nimia ac insolentia effebantur, tamen a statu populari Reipublicae non abhorreabant. Ex quo loco sequentia notanda veniunt, 1) Iulium primum fuisse qui Imperatoris titulum gesit in perpetuum, quia Pompeium vicerat, & fortuna fauente continuos quasi triumphos ageret 2) ab eo hoc nomen, Imperatores Romani, vt & Caesaris nomen, acceperunt, cur & quomodo demonstratur in Diff. 2. 3) Duplex, Imperatoris nominis, significatio exinde elucecit, aut enim nomen est perpetuum, summa Reipublicenentiū, aut ad certum tempus datur illis, qui bello inclauerunt, & toties sic vocantur, quoties singulare praelium aut triumphum agunt. 4) Hoc nomine Imperatoris, Iulium non summam imperii accepisse, sed solum hereditarium nomen, liquet ex Dionis verbis dicentis: non ea ratione, quod ei merum imperium absolutumque potestatem deferrent Imperatoris nomen tribuerunt, & paulo infra dicit, eti haec nimia essent, tamen a statu Reipub. democratico non abhorreabant. Nunc autem statu Monarchicus absolutus, quem Imperatores reliqui habuerunt, vulgoque Iulio adscribitur, & democraticus qualis erat Romanorum, inter se pugnant; accedit, quod

quod paulo post dicat, alia accepisse Iulium que statum Reipubl. invertissent, quae, qualia fuerint, videbimus expendentes requisitum secundum in definitione Imperatoris. §. 8.  
*& nos adpos.* Nec nos dimouet ab opinione nostra, quod Author dicat, eo modo Iulium Imperatoris nomen accepisse, quo nunc iis, qui sumnum Imperium abinent, tam primo Cæsari, primum in posuerunt tanquam ipsi proprium. Nam haec quo nunc iis, qui sumnum imperium obvienti imponitur, intelligenda sunt non de summitate, sed proprietate, quod patescit ex verbis paulo post sequentibus: tanquam ipsi proprium, seu vt Suetonius loquitur c. 76. Praenomen Imperatoris recepit. Errat igitur Cuspinianus insignem errorem, qui quidem locum Dionis ita etiam videtur interpretari sicuti & nos, auct Suidae Authoritatem magis aestimat quam Dionis, contrarium statuentis. Suidas enim scriptor nouus, quanquam de seculo non inter se conueniant erudit, quo vixerit, Authoritati Dionis non magis derogare potest ac ipse Cuspinianus verba haec sunt. *Adbae Imperatoris praenomen decreto est ei a senatu datum, quod cupide accepit: Non* (vt Dion scribit) *tanquam maximaæ alicuius pugnae victori, neque summa dignitate praedito, sed veluti omnium rerum Domino, a quo ceteri Imperatores, nomen praetexere, ab illoque Imperatores Romani ac Cæsares nuncupantur, tanquam a primo qui in Romana Republ. obiunxit principatum. & primam Monarchiam, (vt Suidas dixit) arripuit.* Accuratus insipienti locum Cuspiniani patebit, eum non recte adsecutum esse Dionem, quia non vt triumphator nomen ad tempus accepit, sed perpetuum vt teneret,

## §. VII.

Imperatorium Iulii dum lustrauimus nomen, vidimus, quod teste Dione non iunctum fuerit cum summa potestate; Nunca in expressæ vel tacite electus sit, vt Monarchiam teneret, videbimus. Electiones quidem legimus in vita Nostri & quic-

C 2

quid

quid habuit consenſu populi, a) habuit, ſola excepta po-  
tentia Monarchica.

a) Tribunus factus eſt per suffragium populi, *Suet.* in eius vita c. 5.  
*Conciliato populi fauore, tentauit per partem tribunorum, vt ſibi  
Aegyptius prouinicia plebiscito daretur, deposita prouiniae ſpe,  
Pontificatum maximum petiri.* *id, ibid. c. 11. & 13.* eumque per  
ſuffragia, ſuperando omnes competitores, accepit. *ibid. Dio  
L. 37. p. 46.* Praetor creatur redhōſtimenti loco, ob detecṭam  
coniurationem Catilinariam *Suet. c. 14.* Consulatum petit &  
ne eo excluderetur, triumphum dimifit, *Suet. c. 18.* *Dio L. 37.  
p. 54.* ſecundus consulatus vt ei daretur, ſtudium nauauit, &  
compos petiti factus eſt, *Suet. c. 26.* Dictator more patrio fa-  
etus eſt, quia Lepidus Praetor populo consuluerat, vt Cae-  
ſarem Dictatorem dicerebant, *Dio L. 41. p. 170.* Quam dictatu-  
ram deinde annuum conſenſu populi accepit, & tribanitiam  
potestatem per omnem vitam accepit, nec non quinque con-  
tinuis annis consulatum, *id. L. 42. p. 194.* Dictator in decen-  
nium cum multis aliis honoribus conſtituitur *Dio. L. 43. p. 220.*  
Dictator perpetuus creatus eſt, *Dio. Lib. 44. p. 244.* Ex quibus  
omnibus patet, quod ſummus honor ei fuerit expreſſe con-  
ceſſus Dictatoris, nunquam regius aut potestas Monarchica.

### §. VIII.

Dixi autem ſupra in *not. b. ad §. 6.* ex Dione, Iulium  
quaedam accepiffe, quae ſtatum Reipubl. inuertiffent, qua-  
nam igitur ſint, videamus: ita enim dicit *Dio Lib. 43. p. 236.*  
Alia autem decreta ſunt ei quae regem ipsum palam facerent.  
Quippe omnes magistratus eius potefati, etiam plebeios permi-  
ferunt, ipſumque Consulem ad decennium continuum, ſicut  
ante dictatorem, conſtituerunt, utque ſolus milites haberet,  
ſolus publicas pecunias curaret, iuſſerunt. Habet quidem ad-  
huc

huc nonnulla Dio, quae tamen tanti non sunt ut hic enarrantur, & regia esse refutantur, quia & Brutus habuit, qui tamen nunquam propter ea Rex vocatur. Haec autem quae recensui aut sine limitatione non sunt adsumenda *a)* aut communia sunt cum potestate dictatoria *b)* aut denique decreta sunt ei a paucis & populo iisque adulatoribus, *c)* contradicentibus cordatioribus & libertatem antiquam colentibus. *d)*

- a)* Nam magistratus non solus in sua potestate habuit, & quicquid habuit non semper exercuit, ita enim semetipsum refutat Dio L. 43. p. 237. Reliqui Magistratus in speciem quidem a plebe & populo secundum instituta maiorum deligebantur, recusante Caiſare id muneris, vt ipſe eos conſtitueret. & p. 239. Horum (scil. Magistratum) dimidiā partem Caeſar, quod lege quadam ei concessum fuerat, designabat. Sine limitatione in Dionē obseruantum quod nimius sit in deprimenta libertate Romanorum & extollenda potestate Caesariſ, quare acriter ſaepe facta S.P.Q. R. perstringit, & generaliter adſerit quae cum limitatione intelligenda, quale exemplum hic habemus.
- b)* Nam Dictator creabatur in bellis grauiſimis igitur & militum curam gerebat. *Liv. II. 18.*
- c)* Honores ei detulerunt alii ſtudio adulandi cum nimio, ali ut eum obreſtationibus exponerent, & paulo post, Maior tamen pars bacce coagabant, vt ipſi in maiorem inuidiam reprehensionemque adducto, perniciem maturarent, idque conſilium evenit probavit. Dio, Lib. 44. p. 343.
- d)* vid. infr. §. sq. facta quoque eius paſſim irrita facta ſunt exemplum vid. apud Dio L. 43. p. 195.

### §. IX.

Expressum igitur conſenſum S. P. Q. R. nullum inuenimus an igit forſitan tacitum elicere poſſumus? Aſt ne hic

C 3.

qui-

quidem adeſt, tantum enim abeſt ut populus Romanus tacite in Monarchiam conſenſiſſet ut potius omni niſu eam auerſatus ſit. a)

a) vid. Suet. c. 76. 77. imprimis autem 78. & 79. vbi dicit, quod, quia ſedens excepit adeunteſ ſe, cum plurimis bonorif- centiſiſque decretis, univerſos patres conſcriptos, pra- cipuam & inexpabitem ſibi inuidiam binc maxime mo- rit. Et paulo poſt. Idque factum tanto intolerabilius eſt viſum, quod ipſe triumphant, & ſubſellia tribunitia pra- ceruebent iſibi, unum e collegio Pontium Aquilam non ad- surrexiſſe, adeo indignatus ſit, ut proclamauerit, Repete ergo a me Aquila Rempubl. Tribunus. & porto: Adjectit ad tam inſignem deſpecti ſenatus con- zumeliam multo arrogantiuſ faciū, quod cum quidam e turba ſatuaē eius coronam lauream, candida fascia praeligata imposuiſſet, & Tribuni plebis coronaē faci- ave detrahi, bominemque duci in vincula iuſſiſſent, Tri- bunos grauiter increpiros potestate priuauerit. porto. Quin etiam varia fama percrebuit, migraturum Alexandriam vel Ilium translatis ſimul opibus imperii, tandem, dicebatur, ut, quoniam in libris fatalibus contineſeretur, Parthos niſi a Rege, non poſſe vinci, Caesar Rex adpellaretur. Nunc ſic concludit Suet. c. 80. Quae cauſa coniu- rationis maturandi fuit destinata negotia, ne adſentiri neceſſe eſſet. Conſilia igitur diſperſim ante a babita, & quae ſepe binis terniue ceperant, in unum omnis conu- lerunt: ne populo quidem iam praefenti ſtatu lacto, ſed clam palamque detrectante dominationem, atque adſer- tores flagiante. Et quas Suetonius cauſas coniurationis ad- fort,

fert, scil. adfectatum dominatum, easque refert pasim  
Dio Lib. 44. e. g. p. 244. Accessit ad augendam suspicio-  
nem, quod deinde dictatorem se perpetuum (διά διε) crea-  
repassus est. it. p. 245. Caesari vitio datum est, quod cum  
odio persequi deberet eos, qui ipsi Regis nomen obtrusissent,  
iis omissis Tribunos plebis accusasset. Haec cum ad hunc  
modum evenissent, alia insuper res incidit, quae eviden-  
tius argueret, ipsum regium nomen verbis respuere, re-  
vero ipsa adfectare. Lupercalibus enim, cum pro Rostris  
aurea sella confedisset, regia veste aureaque corona exor-  
natus, Antonius eum cum collegis sacerdotibus regem sa-  
lutauit, diademaque imponens: Hoc, inquit, populus  
tibi per me exhibet. Caesar responso dato solum Iouem  
Romanorum Regem esse, missoque in capitolium diade-  
mate, nihil alioqui succensuit, quin etiam in aeta publ.  
referri iussit, regnum se, a populo sibi per consulem obla-  
rum, non accepisse. deinde latissime exponit odia propterea  
in eum excitata. Et adeo libertatem adamabant Romani, ut ne  
dictatoris nomen, ob adfectatam Caesaris potestatem, postea  
audire poterant, ita enim Dio L. 44. p. 267. Consules legem  
tulerunt, ne quis in posterum dictator crearetur, execra-  
tionesque addiderant, ac mortem ei, qui mentionem di-  
ctaturae fecisset, aut eum magistratum in se receperisset,  
pecuniamque ei, qui talern occidisset, constituerunt. Et  
quae haec tenus adduxi ex Suetonio & Dione de impatientia  
populi Rom. in toleranda potestate monarchica, facile etiam  
ex Plutarcho probari possunt, sic enim in vita Caesari p.  
736. edit. Fr. Wechsel. 1599. loquitur: Redeuntem Alba ad  
urbem Caesarem ausi fuerunt salutare Regem, Indignan-  
te populo ille offensus, non regem ait se, sed Caesarem vo-  
cari

cari. Ibi cum, obtinuerint cuncti, plane tristis dolensque  
transit.

§. X.

Dubia tamen adhuc quaedam nascuntur, vtrum forsitan solum nomen regium Romani audire noluerint, an vero insimul etiam omnem potestatem respuerint? Quod nomen regium inuisum fuerit patet ex *praeced. not.* & quae legimus de regibus prioribus apud *Flor. L. I. cap. 9.* Quod autem sub alio nomine eandem potestatem ferre non addubitauerint, forsitan adeo planum non est. Ast ex c. 80. *Suet. in not. antec. citato* nec non ex Plutarcho clarissime patet, quod ob regnandi cupiditatem a) odium in se concitauerit. Dubium adhuc aliud, priori e regione oppositum, oriri potest insipientibus locum *Dionis Lib. 53. p. 499.* vbi sic Augustus ad populum loquitur: *Nullum aliud est quod potius praedicem, aut quo magis glorie, quam quod regiam potestatem ē is (pater Iulius) a vobis datam repudiauit, & ego eam habens depono.* Nam hic locus euincere posse videtur, Iulium regiam potestatem a populo delatam non accipere voluisse. Tantum igitur abest, inquiet aliquis, vt consensum nec expressum nec tacitum in regnum habuerit, vt potius eum repudiauerit. Ast primo hic sermo non ab Octavio ipso est confectus, sed ab Historico, vti omnes orationes Historiis insertae, Dio autem in extollendis honoribus & potestatibus Iulii nimius est, ergo fides ei non danda, 2) quotquot potestatis regiae titulos atque honores habuit ab adulatoribus eiusque paucis habuit, c) 3) Hic locus explicandus est ex loco *Lib. Dionis 44. p. 245. in not. praec. adlegato* vbi in annales scribi iuss erat, *regnum se, a populo sibi per consulem oblatum, non accepisse.* Cum tamen nec populus nec aliis Se-

nato\*

natorum consensisset, sed Antonius ex propria cum sacerdotibus auctoritate, id fecisset,

- a) *in vita Caesaris p. 735. At odium maxime illustre in eum & funestum efficit regni cupido.*
- b) *Dio Lib. 43, p. 237. Erant Caesaris actiones, iis qui vel accipiebant, vel expectabant munera, quique Reipubl. suam utilitatem anteferebant admodum gratae, ceteri aegre ferebant, variosque inter sermones conferebant, & quibus id tuto licebat, libera voce libellusque sine auctoritate diuulgatis reprobabant. Huc pertinet & Exempl. Sust. c. 79. & in not. §. praec. allegatum.*

### §. XI.

Tandem & murmura obiicientium audio, Iulium Dictatorem tuisse, hic magistratus autem sumimam habuisse potestatem vid. Grot. de I. B. & P. L. I. c. 3.. §. 11. n. 1. & 2. L. 2. §. 18. ff. de O. I. Qua fronte igitur affirmare possim, mirantur, quod Iulius non tacitum populi consensum habuerit ad tenendum sumimam Imperii, cum non ad semestre spatium solum, sed & per longius tempus, immo perpetue Dictaturam adquisivisset. Horum dubia sequentibus eximere annitor. 1) Si habuit potestatem Monarchicam ut Dictator, cur adfectauit maiorem? Cur inuisae erant Caesaris Actiones Romanis, potestatem aliquam spirantes absolutam? Igitur Dictator non habuit id quod Monarcha, neque semestre qui floruit spatium, nec is qui diutius. Nam legimus exempla, de potestate eorum prorogata, e. g. de Camillo in Plutarcho, de Papirio Cursore. Igitur & hi in Catalogo Imperatorum essent recensem-

di, aut his regnantibus perdidisset Democratis suam formam. Nec dimouet me perpetuitas dictatura a sententia mea. Nam si haec Monarcham & Imperatorem facit, Iulius Caesar non est primus in elenco Imperatorum, sed Sulla, qui dictaturam perpetuam prius & diutius etiam tenuit Iulio, hic enim vix annum superuixit ab adquisita, & cur maiora adpetebat, etiam hac iam adepta? 2) Quod ad Dictaturam Caesaris perpetuam attinet, eam non habuit consentiente S. P. Q. R. omni, sed iis solum qui praemia aut laudem in adulando quaerebant, propriamque salutem Reipubl. anteponebant, vti adparet ex Dion. L. 44. p. 244. & Suet. c. 78. Igitur a nonnullorum consensu, ad omnium concludendum non est. 3) Summa potestas non statim est Monarchica, alias in Aristocracia & Democratis summa potestas non existit, & regnantibus dictatoribus forma democratica Romanorum exspirat. At Dictator quaedam iura exercenda tantum habuit, quae nullius correctioni erant subiecta, reliqua manebant penes populum, vnde & Tribuni plebis non abdicabant, vti reliqui Magistratus, quorum locum supplebat Dictator, ne angustissimis temporibus, consilia, ob multorum vota, retardata, hosti occasionem praebeant, oras Reipublicae praemendi. Qualem igitur potestatem habebat tempore pacifico magistratus abdicatus, tales exercebat Dictator temporibus, ob belli iniurias, turbulentis. Nec aliquid praecipui est, quod eius facta non poterant annullari; semper enim aliquem hostem concernebant, sive etraneum sive intestinum, cum quo actum erat, aut belligerando aut pacta condendo, si igitur aliquid innovasset Romani, bellorum vulnera recrudiissent. Ceterum Romanorum Dictator & Saxonum Satrapa, ingruente bello electus,

electus, maximam conuenientiam habent officiorum. Vterque enim ad bellum, vterque ad citius expediendas res & con-silia captanda, vt cetera taceam, electus est.

*Synopsis*

## Cap. Prooemialis.

- §. I. Finis historiae est indagandus.
- §. II. Studiosus historiae imbutus sit necesse disciplinis moralibus.
- §. III. Docens autem & philosophus & iurisperitus esse debet.
- §. IV. Definitio Historiae Imperii.
- §. V. Historia est Narratio.
- §. VI. 1) Vera.
- §. VII. Quare distinguit se a Fab. Memoriis &c.
- §. VIII. 2) rationibus Philosophicis & Iuridicis suffulta.
- §. IX. Non a Carolo M. aut Ottone III. incipienda.
- §. X. Versatur circa ea, quae ad statum pertinent.
- §. XI. Certae periodi sunt constituendae.
- §. XII. Finis remotus Dissertat.

D 2

*Synopsis*

*Synopsis*

Cap. ipsius Tractationis.

- §. I. Causa 1, impulsua,  
§. II. Causa 2.  
§. III. Causa 3.  
§. IV. Finis proximus Dissertationis.  
§. V. Definitio & requisita Imperatoris duo.  
§. VI. Primum Imperatoris Requisitum in Julio quaeritur,  
locusque Dionis explicatur.  
§. VII. Alterum Requisitum Imperatorium in Julio qua-  
eritur, & demonstratur quid habuerit.  
§. VIII. Explicatur iterum Locus Dionis & restringitur.  
§. IX. Monstratur quanto nisu absolutum Imperium de-  
trectassent Rom.  
1) ex Suetonio.  
2) ex Dione.  
3) ex Plutarcho.  
§. X. Dubia resoluuntur & quidem  
1) An forsan solum nomen regium audire noluerint?  
2) An forsan regium nomen recipere Julius noluissest?  
explicatur Locus Dionis & restringitur.  
§. XI. Dubium nouum resolutur, an non sub nomine Di-  
ctatoris Monarchicam habuissest potestatem Julius?  
Instituitur comparatio inter Dictatores & Sasrapam,  
Saxonum belli Ducem.




ULB Halle  
003 920 380

3



Sb:





A. D. A. M.

1724, 18 25

**IMPERATOR C. IVLIVS CAESAR  
NON IMPERATOR**

HOC EST

HOC EST  
**DE IMPERIO ET REGNO**  
**GERMANICO SEMPER**  
**ELECTIVO**  
**DISSERTATIO**

OVAN

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

## DOMINIC

# DOMINUS GVILIELMO HENRICO DUCE SAXONIAE

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE, VVESTPHALIAE RELIQVA

INCLVTO ORDINE PHILOSOPHORVM ANNVENT.

PRAESIDE

FRAESIDE  
M. GOTTLIEB STVRMIC  
ALTENDORF GEN.

ALTENBVRGENS. LL. C

AD D. XXIII. SEPTEMBR. ANNO M DCC XXIV.

DEFENDENT

IO. FRIDERICVS GRAEFIUS

TREPPENDORF. THVR. SS. THEOL. CULTO.

IENAE  
LITTERIS VVERtherianis

